



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684**

Quaestio 81. Quæ sit differentia inter censuras, quas violatores
exemptionum incurrunt, & eas, quas conservatores violatoribus
exemptionum infligunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

QUÆSTIO LXXX.

Quid si quispiam sit Conservator, qui utramque habet jurisdictionem, spiritualem scilicet & temporalem, an utramque poterit exercere.

SUMMARIUM.

Multi Prælati utrumque habent gladium, possuntque uti utroque gladio.

Multi sunt Prælati, qui utramque habent quibusdam in locis jurisdictionem, scilicet spiritualem & temporalem. Queritur nunc, an si tales Prælati sint Conservatores, possint adversus sibi subditos qui Privilegia violant, spiritualem & temporalem jurisdictionem, pro arbitrio suo exercere. Respondetur posse, arg. cap. dilecto de sent. excom. in 6. cap. per venerabilem versat autem in patrimonio qui filii sunt legitimi, cap. si duobus de app. cap. Romana in fin. de app. in 6. Host. in summa §. quis possit excommunicare vers. necdum autem jus. Jo. de Lignano tract. de censuris §. oblatum incip. Sylvester verb. excommunicatio 1. nu. 6. vers. nos Prælati. Stephanus Costa rep. cap. cum medicinabilis num. 15. de sent. excom. in 6. Angel. verb. excommunicatio 1. §. 5. Greg. Sarrus in Thesauro Theol. Moralibus lib. 1. cap. 5. nu. 30.

QUÆSTIO LXXXI.

Quæ sit differentia inter censuras, quas violatores Exemptionum incurrunr, & eas, quas Conservatores violatoribus Exemptionum infligunt.

SUMMARIUM.

1. Causa efficiens excommunicationis est homo & lex.
2. Excommunicatio hominis, qua dicatur.
3. Excommunicatio Canonis qua dicatur.
4. Excommunicatio legis & hominis differunt.
5. Excommunicatio legis non requirit monitionem precedentem.

Scripti

Scripsi in quaestione septuagesima, conservatores non debere nisi plumbeo pede, ac magna cum maturitate cessantibus aliis remediis ad excommunicationum censuras proficere, quaestione autem septuagesima octava ostendi, violatores exemptionum censuras excommunicationum incurrere. Quaestio nunc est, quae sit differentia inter has & illas censuras. Cui quaestioni antequam respondeam, praenotandum est, in jure duas poni efficientes causas excommunicationum, scilicet hominem & legem, *Abb. in Rubr. de sent. excom. Angel. in summa verb. excommunicatione 1. Covar. cap. alma mater. §. 10. de sent. excom. Gregor. Sayrus in thesauro Theol. Moralit. lib. 1. cap. 4. num. 22. cap. 18. num. 7.*

Excommunicatio hominis, quae & judicis dicitur, est quae fertur pro contumacia vel offensa, non intentione constitutionis generalis faciendae, quae in perpetuum durat, sed ut alicui personae aut personis, collegiis universitatibusque particularibus, seu alicui particulari negotio consulatur ad tempus.

Excommunicatio legis est, quae fertur jure aut statuto seu constitutione generali, *DD. iam citati, Marianus Socin. cap. perpendimus num. 49. usque 74. de sent. excom.*

Praenotandum secundo, multas & graves esse differentias inter excommunicationes ab homine vel à lege, quas quidem exactè Marianus Socinus prosequitur, *d. loco.* Ideoque plurimum scire refert, an quis excommunicationem hominis vel legis incurrat, *Greg. Sayrus d. cap. 4. num. 22.* paucis excommunicatio hominis non est perpetua, nec incurritur pro illo actu, pro quo est lata, nisi quamdiu vivit ille qui est perceptor, vel quamdiu manet in officio, quod intellige quo ad eos, qui eam non incurtunt, antequam is moreretur vel officio privaretur. At vero excommunicatio legis durat indistincte etiam mortuo canonis & constitutionis conditore, uti de Bulla cenae Domini testatur *Navar. in Ma. cap. 27. num. 73. Gregor. Sayrus d. cap. 4. num. 22.*

Rufus excommunicatio legis praecedentem monitionem non requirit, *Fel. cap. cum sit Romana num. 21. & cap. sacro num. 5. de sent. excom. Navar. cap. cum contingat in quinta causa nullitatis num. 4. de Rescriptis. Gregor. Sayrus d. lib. 1. cap. 12. num. 29.* lex enim seu Canon, aut constitutio semper loquitur, semper admonet, ne quis contrafaciat. *1. Arian. C. de haereticis.* & ideo unusquisque satis semper esse censetur admonitus ab ipso jure, Canone vel constitutione, *Gregor. Sayrus d. num. 19. in fine.* at vero excommunicatio hominis praecedentem monitionem & quidem trinam regulariter requirit, *Gregor. Sayrus d. lib. 1. cap. 12. nu. 5. cap. sacro, cap. contingit 2. de sent. excom. cap. Romana eod. in 6. Socin. d. cap. perpendimus num. 67. & 91.* dixi regulariter, quia certis in quibusdam casibus omiti potest monitio vel certe trina illa monitio, ut ex amussim observetur, non est semper necesse, uti limatius & exactius videre potest apud Doctores jam laudatos.